





1716, 19  
32

FACULTATIS JURIDICÆ,  
DECANUS  
**ERNESTUS**  
**TENZELL,**  
J. U. D.


JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS  
ASSESSOR, CIVITATIS CONSUL.  
AC SYNDICUS PRIMARIUS,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

ED  
S  
IE



I quilibet est rerum suarum moderator, ac arbiter *l. 21. C. mandat.* Si dominium tale jus denotat, quo quis pro arbitrio de re sua disponere potest, *l. 11. in f. ff. si servit. vind.* *l. 9. de adz. rer. am.* ita, ut nihil tam conveniens sit naturali æquitati quam voluntatem Domini, rem suam in alium transserentis ratam haberi, *l. 9. §. 3. ff. de a. r. d.* Nulla sane sufficiens ratio esse videtur, quam ultimæ hominum voluntates, secundum æquitatem juris Naturalis & Gentium, magis quam aliæ inter vivos, constringantur; Ita quippe *Imper. Constantinus in l. 1. C. d. Ss. Eccles.* Nihil tam est, ait, quod magis hominibus debeatur, quam ut Supreme voluntatis, postquam jam aliud velle non possum, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium. Quæ libertas vel ipsis *l. l. 12. tab.* expressa est, & in *Nov. 22. cap. 2.* magna cum emphasi allegatur, & approbatur. Quid quod inhumanum dicatur in *S. un. J. de leg. Fus. Can. toll.* Morientibus illam quam vivi habent licentiam, adimere? Re&tissimè ideo *H. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 6. §. 14.* Testamenta, ut actus alios, accipere posse formam Jure Civili, ipsam tamen eorum substantiam cognatam esse

esse dominio, & eo dato, Juris Naturalis, asserit. Nec adduci possunt ut credam acu rem tetigisse, *Aut. Fabrum. de Error. Pragmatic. Decad. 36. Error. 2. num. 6. seqq.* dum testamenti factionem totam esse Juris Civilis, nullā ex parte autem juris gentium, etiam si originem spectemus, & rationem inducendorum testamentorum, statuit. Rationes vero allegat ille sequentes: quod sicuti à naturali ratione abhorreat, ut quis transferat in alium plus juris, quam ipse habuit, *l. 54. de R. J.* Ita vero cum mors omnia solvat, & morte quis definat esse Dominus, conferat tamen effectum suae dispositionis in id tempus, quo amplius non erit Dominus, id est, post mortem suam *l. 1. ff. qui test. fac. poss.* ut adeò vix sit ut non de alienis bonis testari videatur, etiam is, qui de suis testatur, quod tamen absurdum *l. 8. §. Si post testamentum, verific.* *& de alienis, ff. de jure Codicill.* Nec alia de causâ testamentum dici esse juris publici in *l. 3. ff. qui test. fac. poss.* quam quod sit Juris Civilis, cuius partem constituat illud jus, quod specialiori denominatione publicum appellatur. Cujus argumenti vi & utitur *Pufendorff. de Jure Nat. Lib. 4. cap. 10. §. 2 & 4.* quanquam in *seq. §. 6.* videatur aliquo concedere modo, ultimarum voluntatum firmitatem ex Jure Naturali originem & efficaciam habere. Pluribus tamen persequitur rationibus idem argumenti genus, celeberrimus quidam JCTus in Differat. de Testam. Princip. Part. 1. Gener. tradens, quod cum Testamentum sit dispositio solius testatoris, de hereditate in alium transferenda, (quæ si conventio, vel instrumentum heredis accedat, transeat in negotium inter vivos,) certum sit, tale negotium legibus naturæ adhuc esse imperfectum, & proinde eo jure planè nullum &

ED  
S.  
TE

invalidum; cum ad negocium, quo jus ab uno in alterum transferendum, natura requiratur, ut utriusque consensus concurrat, declareretque alter se dare, alter se accipere velle; Neque enim minus effectus esse Dominii & libertatis naturalis res oblatas rejicere, & non acquirere, quam suas aliis offerre. Ut adeò tota testamenti ratio prout non tantum Jure Romano forinata, sed & inter gentes ab omni memoriam recepta est, meritis juris positivi fictionibus absolvatur, & sustineatur, præsertim quoad testamenti conditi, mortis, & aditæ hereditatis tempora &c. Inde etiam minus rectè à Grot. loco alleg. Testamenta ad modos alienandi referri, cum alienatio utriusque consensu fieri debeat, add. Puffendorff. d. c. 10. §. 2. Sed enim verò Pace tantorum JCTorum asserere non dubitarem, inutiles esse has, quibus utuntur subtilitates, quæ præconceptis nituntur hypothesibus, quæ probari nunquam poterunt. Quam ridiculum enim videtur A. Fabro Lall & aliis, quod defunctus qui morte dominus esse desit, adhuc dispositionem sibi quandam arrogare velit; tam nugatorium est ratiunculis hisce destruere velle naturalem aquitatem, quæ ultimam defuncti voluntatem etiam post mortem servandam, svadet; quasi verò proximi aghati vel cognati qui successionem ab intestato sperant, tam firmum jus in bonis defuncti Jure Naturali haberent, quod defunctus auferre illis nullo modo posset; Vel si posset, certè solum per actus inter vivos hanc Facultatem haberet, ultimâ voluntate minime! quasi ita plus juris in alium transferre quam ipse habuit, post mortem ubi Dominium ipsius evanuit, disponendo, sibi arrogaret. Annon verò momentum moriendi etiam vitæ tribuitur,

l. 18.

118. §. 1. ff. de manum. test. ut ita possit quis eō ipso de re suā pro lubitu (alimenta liberis, & quandoque etiam aliis debita si excipientur,) usque ad extremū vitæ habitum disponere, non purē modo, sed & sub conditione, nec tantum irrevocabiliter, sed & revocabiliter, atque etiam retenta interim possessione, & plenissimo fruendi jure; uti rectissimè Grot. d. cap. 6. §. 14. notat, ac simul adversariorum argutias plenē destruit. Aequè enim aē non destituitur effectu, actus inter vivos, alicui re sub conditione, vel limitato modo vel concessâ vel promissâ, si conditione pendente, concedens moriatur, post ipsius demum mortem vires accipiens integras: ita nec frustrane debet esse ultima voluntas, heredi post mortem facultatem res defuncti occupandi, habendi, retinendi, concedens. Nec est ut objicias, adhuc tamen esse naturā imperfectum hoc negocium, & nullum, antequam heres hanc voluntatem agnoscat. Est enim perfectum in hoc, quod heres eō ipso jus habeat sufficiens res sibi relitas cum exclusione aliorum vel accipiendi, vel si jam possidet, retinendi; Quas etiain raro homines integræ mentis respurre solent, ea quæ bona sunt, omnibus appetentibus. Ut adeò testamentorum jura non fictionibus sed æquitate naturali, quæ voluntatem defuncti rem heredi destinant servari vult, nitantur. Quod præterea dicitur Testamenta esse juris publici, adeòque partem juris positivi, leve est dubium. Dicitur quippe esse juris publici, non propriè, sed quatenus publicā fide nistitur. Deinde nec jus publicum æquitate naturali destituitur, sed itidem è præceptis Juris Naturalis & Gentium, collectum illud esse, certum est. Ut adeò corruant, quæ fīctiis hisce hypothēsib⁹ superstruuntur, v.g. esse absque omni du-

bio in conscientia tutum, qui testamenti, cui aliquid solennitatum deest, non habet rationem &c. Quod autem Jure Civili Romano, Testamenta variis solennitatibus ambagibus fuerint quasi circumsepta, sine dubio exinde factum fuit, ut fraudes quae scipissime ibidem intervenire solent, evitentur. Quanquam malitiæ hominum exinde potius magis magisque voluntates testatorum evertendi, janua aperta. Inde etiam non solum favore quarundam personarum Jure Civili minores solennitates sufficiunt, uti ratione dispositionis inter liberos, & militum in expeditionibus, appareat. Sed impri-  
mis Jus Canonicum ratione Piæ causæ (quid etiam in aliis? vid. cap. 10.) ambages ejusmodi noluit in Cap. Re-  
latum est XI. de Tislam. De qua materiâ pluribus dis-  
seret Prae-Nobiliss. & Clariss Dominus

## URBANUS FRANC. JACOBUS MOLITORIS,

JURIUM CANDIDATUS DIGNISSIMUS,

qui d. Cap. in Lectione Cursoria explicandum sibi elegit.

Natus ille est hinc Erfordia Anno 1694 die 24. Jul. Patre Viro Prae-Nobiliss. & Consultissimo, Dn. *Anselmo Francisco Molitoris*, Consiliario Regiminis Meritissimo, Pie jam ante aliquot annos defuncto; Matre *Mariâ Anna de Gudenus*, Matronâ, quae Decus sexus & Familiæ dici meretur. Hic à prima juventute domesticæ instruc-  
tioni traditus, postea Anno 1702. ad Gymnasium, quod hic sub directione R.R. Patrum S. J. floret, admissus fuit;  
Absolu-

Absolutis postea per quinquennium feliciter literis huma-  
nioribus, Fuldam ad Philosophiæ studium, à Charissimis  
Parentibus missus, ibidem sub R. P. Bartholom. Beimer,  
S. J. ibidem t. t. Philosophiæ Professore Ordinario, Lo-  
gicam audivit. Unde redux, hic in Patriâ in Cœnobio  
*RR. PP. Augustinianor.* sub R. P. Joanne Renninger, tunc  
temporis Philosophiæ Professore, non solum Logicam  
repetuit, sed & reliquas Philosophiæ partes absolvit.  
Quibus ita peractis, in hac Alma Universitate matriculæ  
Nomen dedit, & Studio Juris sese applicare cœpit. Proin  
Nobiliss. Dn. D. Reinhard, nunc Pand. Prof. Publ. Ordin.  
Hoppii Comment. ad Inst. J. C. explanantem, audivit.  
Absolutis hisce, anno 1712 ad Universitatem Mogunti-  
nam emigravit, ibique Dn. Georg. Josèph. Wagner, J. U. D.  
& P. P. Ordin. Hoppii Commentarium prælegentis, nec  
non Pl. Rev. Dn. ab Haren, J. U. D. & Almae Universit. Mo-  
gunt. Cancellar. Ampliss. Zœsiū ad Jus Canon. eo anno  
interpretantis sedulus auditor fuit. Sequenti Ann. 1713.  
ibidem sub memorato Dn. Professore Wagner, Collegio  
ad Lauterbachii Comp. ff. interfuit. Post biennium huc  
in Patriam reversus, præeunte supra memorato Dn. D.  
& P. P. Reinhard, Lectiōnes Lauterbachianas repetiit,  
nec non Pl. Rev. Hartm. Ant. Spænla, J. U. D. Eccl. Colleg.  
B. M. V. Canon. Capitul. & Confessor. Archi-Episc. Mogunt.  
Eccles. Hujatis Aſſeff. nunc B. M. Ludov. Engel. Jus Canon.  
explicantem audivit. Denique Dn. de Stockhausen, J. U.  
D. & Prof. Juris Publ. Swederi Jus Publicum explicantis,  
manuductione est usus. Quibus omnibus ita peractis,  
& Cursu Juris privatim de novo repetito, ad Examen  
Candidatorum admitti petiit. Transmisit igitur Facul-  
tas nostra more consveto textus ex utrcquè jure, ter-  
mino

ED  
S.  
IE

mino ad Examen præfinito. Ibidem tām doctā textū  
um elaboratione, quām promtā ad dubia proposita re-  
sponsione, expectationi omnium ita satisfecit, ut unani-  
mi Consensu in Numerum Candidatorum receptus, &  
janua ad ulteriora specimina, & ad Honores in Jure Su-  
premos Eidem aperta sit. Quapropter proximo die h.  
26. Septembr. horis locoque consuetis, Lectionem Curso-  
riam ad d. Cap. Relatum est, XI. de Testam. & ultim. Vol. &  
illa finitā Disputationem Inauguralem de Quasi Juridico,  
B cum D. habebit. Ad quos Actus solennes, omnes &  
singuli Universitatis nostræ Proceres & Studiosi decen-  
ter invitantur. Publ. sub Sigillo Facultat. Jurid. Dom.  
XV. post Trin. d. 20. h. Sept. Anno 1716.



**ULB Halle**


001 972 26X

3



5,6,





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Purple

19

32

JURIDICÆ,  
ANUS  
STUS  
ELL,  
. D.

IALIS ERFURTENSIS  
TATIS CONSUL.  
S PRIMARIUS,

3. S.

RDIÆ,  
RICI GROSCHII,  
YPOGR.

ED  
S  
TE